

dilectus quemadmodum filius unicornium. Vox Domini concutientis desertum, & commovebit Dominus desertum Cades. Vox Domini: revelabit condensata.

Fulgura non alio frequentius nomine designantur, quam ignearum sagittarum & jaculorum Domini. Deut. 32. 22. Ignis succensus est in furore meo; [Domini] & ardebit usque ad inferni novissima. Sagittas meas complebo in eis. 2. Reg. 22. 15. & Ps. 17. 15. ait David: Intonuit de Caelo Dominus, & Altissimus dedit vocem suam. Misit sagittas suas, & dissipavit eos, fulgura multiplicavit & conturbavit eos; & Ps. 7. 14. impios affatus: Nisi conversi fueritis, gladium suum vibrabit; arcum suum tetendit, & paravit illum. Et in eo paravit vasa mortis, (arma ad occidendum directia) sagittas suas ardentibus effecit; & Ps. 143. 6. Domine descende, tange montes & fumigabunt. Fulgura coruscationem, & dissipabis eos; emitte sagittas tuas & dissipabis eos.

Quid pluviae, ventus, nimbi, glacies, iris? quid, inquam, in sententia veterum Hebraeorum, nisi à Deo immissa vel puniendis impiis flagella, vel juvandis bonis data à Deo significationes? (e). Ita de illis agunt Hebraei, quasi portentosum aliquid & divinum non naturale & commune praeferebant. Eccli. 43. 13. &c. In verbis Sancti stabunt (stellae) ad iudicium, & non deficient in vigiliis suis. Vide arcum, & benedic eum; qui fecit illum valde speciosus est in splendore suo. Imperio suo acceleravit nivem, & accelerat coruscationem emittere iudicii sui. Propterea aperti sunt thesauri, & evolaverunt nebulae sicut aves. In magnitudine sua posuit nubes, & confracti sunt lapides grandinis. In conspectu ejus commovebuntur montes, & in voluntate ejus aspirabit Notus. Vide etiam Ps. 147. 15. 16. Grandinem ergo ita concipiebant Hebraei, veluti si essent ex immani glacie monte avulsae portiones; quemadmodum è lapidinis excindi petrae & in hostem torqueri consueverunt.

ARTICULUS V.

Consensus Veterum Philosophorum & Patrum cum Hebraeorum Systemate.

Quod huc usque proposuimus Mundi systema, apud vetustissimas gentes prioresque Graeciae Philosophos ferme idem obtinuit. Phoenices, si fides sit Sanchoniati, seu potius Porphyrio, qui Authorem illum procudit, omnium rerum principium agnoscunt chaos, seu confusam corporum congeriem (f). Indi, auctore Megasthene apud Strab. l. 15. omnia ex aqua produsse rati, eandem cum priscis Graecorum tenuisse sententiam creduntur; quippe qui aquam & chaos pro eodem videntur usurpasse: ita planè solent Homerus, Hesiodus, & Thales inter se se conciliari. Homerus rerum, Deorum, hominumque omnium parentem constituit Oceanum

e Vide Ps. 134. 7. & 147. 15. 16. 17. Jerem. 10. 13. & 51. 26. Eccli. 43. 13. &c.

f Euf. Prap. l. 2. c. 10.

(g). Hesiodus primum omnium chaos emeruisse cecinit (h). Thales materiam gi-gnendis rebus suppeditasse aquam autavit (i). Sanior tamen Scriptorum pars sustinet (k), quod chaos Prisci appellabant, ipsam fuisse aquam; quam sententiam mirè fulcit Moyses Gen. 1. 2. chaos abyssi nomine designans: Et tenebrae erant super faciem abyssi.

Thales (l), & Stoici, ait Seneca nat. qq. l. 6. c. 6. Terram totam subjecto indicans humore portari, & innatare. . . Hac unda sustinetur orbis, velut aliquod grande navigium, & grave. Manilius Astronom. l. 4.

Ipsa natat tellus pelagi lustrata coronâ Cingentis medium liquidis amplexibus orbem.

Zeno, quem Stoici ducem sequuntur, (m) continens in centro mundi immotum constituebat, aqua in sphaeram circumfusam terram ambebat, ut ambo hæc elementa centrum haberent commune, atque terra Oceano innataret. Illa ambo elementa veluti in sinu clausa aer continebat. Home- rus, cujus sententiam Strabo l. 1. & laudat & amplectitur, ambiri terram Oceano scripsit, & Seneca Tragicus in Oedip. Act. 2.

Oceanus clausum dum fluctibus ambiat orbem.

Chardinus in suo Itinerario in Persidem, receptam esse inter Persas opinionem narrat, terram aquis velut cucumerem aliquem innatare; i. e. mediam tantum aride portionem aquam in sinu suo continere: S. Petrus in priori Epistola 3. 5. docet, Terram de aqua, & per aquam consistere; immergitur scilicet & aqua veluti penetrat &c.

Plura in hoc argumentum Prophanorum Authorum testimonia congerenda essent; sed ista satis superque. Patrum de situ terræ par fuit eademque sententia. Theodoretus in illud Ps. 135. 6. Qui firmavit terram super aquas; portari terram aquis sustinet S. Hilarius in Psal. 135. Terra super aquas penâula firmitate consistit.

Animadvertimus, in systemate Hebraeorum terram fundamentis quibusdam in ipso aquarum alveo constitutis inniti. Paria legas apud Philosophos. Xenophanes Colophonius (n), quod se ab omnibus difficultatibus de innatatione terræ super aquas expediret, hanc rationem iniiit; nempe fundamentis inconcussis & profundissimis terram sustineri. Anaximenes, Anaxagoras, Democritus apud Aristotelem loco citato, inniti terram aeri sustinent; ad immensam enim altitudinem elatus aer immani huic moli portandæ par est. Thales ejusque sectatores autumarunt, terrarum orbem aquâ sustineri, & vebi more navigii, mobilitateque ejus fluctuare tunc, cum dicitur tremore. Senec. qq. natural. l. 3. c. 13.

Plato in Timæo, Aristoteles, Empedocles, Anaximander, cæterique supra à nobis laudati, quos Veterum plerique sequuntur, de immobilitate & inconcussitate terræ eandem tenent cum Hebraeis sententiam. Quid potissimum terram fulciret,

g Iliad. 14. h Hesiod. Theo- gon.

i Thales apud Plut. de Plat. Phil. l. 1. c. 3.

k Plutar. lib. Aquane au- ignis sit uti- lior?

l Thales apud Arist. de Mun. l. 2. cap. 13.

m Laert. in Zenone l. 7.

n Apud Arist. de Caelo lib. 2. cap. 13.

& contineret immotam, ne questione discutendum quidem censet S. Basilus in Hexaem. hom. 1. & S. Ambrosius in Hexaem. l. 1. cap. 6. n. 2. Si enim, inquit, dixerimus aere fulciri; statim reponetur quinam fieri potuerit, ut aer tenus oppidò & subtile corpus immanem illam compactamque molem sustineret? Si in aquis fluitare responderimus; paria opponent. Tandem si quis firmius aliquid fundamentum quaesiverit, quaeret alter vicissim, cui nam fundamento fundamentum illud innitatur, & sic deinceps. Restat igitur ut curiositati frenum imponatur, prematurque silentio quod assequi verbis non possumus (o). Ex his planè colligimus, Patres illos non ambigere quidem de terræ immobilitate, sed dubios versari, an aeri, an terræ, an alteri cuiquam fundamento innitatur; plerique tamen aerem aquæ præferunt, omniumque sententia Antipodas prorsus rejicit.

Porrò de Antipodis sententia tanquam insolens & religioni repugnans habebatur. Videtur Thaeonem apud Plutarchum de facie in orbe Lunæ; Lactantium Inst. lib. 3. cap. 24. S. Augustinum de Civit. lib. 16. cap. 9. Zachariam Papam epist. 10. ad S. Bonifacium Moguntinum anno 748. Procopium in Gen. Quando autem ed adigamur, ait S. Augustinus, ut terram concipere- mus rotundam, propius tamen est vero, ut pars nostro hemisphaerio averfa obduci aquis, quam hominibus, & brutis culta credatur. Quid illi, ait Lactantius, qui esse contrarios vestigiis nostris Antipodas putant? num aliquid loquuntur? An est quispiam tam ineptus, qui credat esse homines, quorum vestigia sunt superiora quam capita? Aut ubi qua apud nos jacent, inversa pendent?

Multò etiam ab ea de Antipodis sententia alieniores sunt, quicunque terram plane esse figuræ arbitrati, inferiorem ejus partem negant circumfuso Caelo ambiri; quemadmodum nec Solem, & astra circum terram torqueri. Est autem communissima apud Veteres (p) opinio, quemadmodum etiam spectare licet in Cosmographia Cosmæ Monachi (q), & in figuris terræ ab eo delineatis, & à Montfaucon in Editione ejusdem Operis vulgatis. Rati igitur Cælum terramque continuari, cameram quandam ab his constitui arbitrabantur, cujus concameratus ingensque fornix Cælum esset, terra & mare pavimentum. Habuit hæc opinio assertores viros omnes doctos usque ad decimum quintum sæculum; ut Tostatus Episcopus Abulen- sis in Gen. cap. 1. paulò arte detectam. Americam opinionem de rotunditate terræ rejiceret, veluti temerariam, & fidei perniciosam. Illud autem maximè animadvertendum est, Patribus, ut in hanc sententiam inclinarent, in causa fuisse Divinarum Scripturarum apertam, ut ipsis quidem videbatur, auctoritatem.

Fontium, fluminum, aquarumque omnium terram perlentium originem Oceano deputarunt cum Hebraeis veteres etiam Philosophi. Plato docet terram infinitis

propemodum meatibus perviam esse, veluti spongiam (r), ut acceptam ex una parte aquam ex altera reddat. Esse autem addit, plura sub terra receptacula variis continendis aquis destinata; quorum alia calidas habent, alia frigidas, puras, luteasque. In centro terræ situs est Tartarus, omnium scilicet aquarum commune receptaculum, ex quo omnibus super terram fluminibus aquæ suffectæ. Cum autem, addit, immensa illa aquarum vis basi careat & fundo, perpetuâ agitatione commota assiduum illum fontium, & fluminum circulum efficit. Plinius lib. 2. cap. 65. ita mentem suam explicat. Cum terra arida, & sicca constare per se & sine humore non posset, nec rursus stare aqua sine sustinente terra, mutuo complexu junguntur; hac sinus pendente, illa verò permeante totam intra, extra, infra, venis ut vinculis discurrentibus, atque etiam in summis jugis erumpente. Virgilius Georg. 4. V. 366.

Speluncisque lacus clausos lucosque sonantes, Omnia sub magnâ labentia flumina terrâ Spectabat diversa locis. . .

Servius in eundem locum observavit, non fabellam aliquam poeticam effinxisse Vatem, sed opinionem retulisse vetustissimam à Theologia Aegyptiorum deductam, unde Thales suam illam sententiam hausit de Oceano rerum omnium principio. Homerus serè totidem (s) verbis ac Sa- lomom in Ecclesiastico, eandem sententiam exprimit; ex Oceano enim omnia deduci ait flumina, sicut & maria singula, fontes & puteos.

Quod ad Systema Cælorum attinet, eadem ferme, quæ in Scripturis Sacris, apud Veteres observavimus. Illos enim solidos, immotos, & concamerati fornices instar terram tegere autumarunt. Ennius:

Quaque freto cava cœruleo cortina receptat.

Hæc autem aded Priscis illis erant persuasa, ut contrariæ sententiæ assertores contemptu, & miseratione dignos censerent. Ubi sunt, qui mobiles Cælus putant, sphaericos & circulares? ait S. Chrysostomus hom. 14 in Epist. ad Hebræos, & hom. 17. in eandem. Quod verò, inquit Lactantius Institut. lib. 3. cap. 24. Veteres in eum errorem adduxit, ut crederent Solem, & astra circa terram torqueri, illud reputandum est, nimirum videntes Solem, Lunam, & astra simul omnia singulis diebus oriri ex eodem ferme horizontis loco, & occidere, terram veluti pilam rotundam conceperunt, quam astra qualibet diurno cursu, veluti circulo descripto, media exciperent; ignorantes quam potissimum viam tenerent, ut ex Occidente in Orientem restituerentur. Ita semel persuasi, in Antipodum sententiam venerunt, rati averfam nobis terræ portionem suis esse cultoribus habitatam. Quid dicam, addit Lactantius, de illo hominum genere, nisi illud, semel præstructis erronee aliquo opinionis fundamentis, errores inde erroribus coagmentasse? At ego, addit, multis argumentis probare possem, nullo modo fieri

r Plato Pbed. pag. 111. 112.

s Iliad. 21.

o Vide Bas. loc. cit. Ambros. in Psal. 118. Ser. 12. August. lib. 13. De Civit. c. 18. & lib. 16. cap. 9. Vide Bed. de nat. verum cap. 95. Bruno Signiac. lib. 4. Sant. cap. 3.

p Cleomenes Cyclices theorias l. 1. Horat. l. 1. carm. Ode 21. Lucan. l. 9. Pharsal. Terrarum primam Libyen, nam proxima Cælo est, Ut probat ipse calor. Sil. Ital. l. 3. Ad finem Cæli medio tenduntur ab Urbe. Squalentes campi. Plin. l. 2. c. 78. Aethiopes vicini sideris calorem torquentur. q In nov. Collect. Græcor. PP. Vide Notas D. Bernardi de Montfaucon in eundem Lib.

vi posse, ut Cælum terrâ sit inferius. Pseudo-Athanasius in Psal. 103. 3. non obscurius locutus, Audiamus, inquit, quid nos docet Propheta, ut Barbarorum ora obstruamus, temerè profus asserentia, Cælum infra terram descendere. Prophe- ta exerta contra illos voce clamat: Domi- nus extendit Cælum sicut pellem, vel sicut expansum velum. Porro qui expansum ve- lum dicit, hemicyclum exprimit non- sphæram perfectam. Quid Isaias 40. 22. Qui extendit velut nihilum (Hebr. velut cameram) Cælus, expandit eos sicut taber- naculum ad habitandum? Cælum planè non gyrat, sed immobile perseverat, juxta Prophe- tam: Cælum firmavit super stabilitatem suam. Videtis Pseudo-Justinum in quaestio- nibus ad Orthod. 9. 93. 94. Severianum Gabalensem orat. 3. de Creat. S. Cæsar. Dia- log. 1. 9. 97. & 98. Procop. in Genes. Dio- dorum Tharsensem apud Photium Cod. 223. Theodorum Mopsuestenum apud Joan- nem Philoponum (t), aliosque permul- tos, qui concamerato fornice Cælum ter- ræ superimponi autumarunt. Eusebius in Commentario in Psalms fatetur, eam fuisse plurimorum sententiam, ut mundus figu- rã sphericã contineretur, terramque ve- luti in sinu Cælum contineret. Sed in Com- mentario in Isaiam cap. 40. contrariam opi- nionem tuetur. S. Hieronymus in Epist. ad Ephes. 5. 4. Cælum velut concameratum for- nicem habentes stultiloqui damnat; sed in cap. 3. 18. insinuare videtur, Cælum latius quàm terram non patere; quanquam sphæ- ricum à nonnullis reputari fatetur. Ex iis, quæ hucusque deduximus, in aperto esse censeo, Hebræorum systema, quale supra exposuimus, satis convenisse cum systemate veterum Philosophorum; quæ planè simplicissima est hypothesis, pro-

na, & facilis, ad populi captum maximè accommodata, ut scilicet ille dignam de sapientia, & virtute Dei, simulque de imbecillitate sua, atque debitâ in Deum ob- servantiã ideam concipere valeat. Maxi- mè igitur conducebat ad finem à Spiritu Sancto intentum, deducendi scilicet homi- nes in Deum per timorem, & amorem, juxta illud Eccle. 12. 13. Finem loquendi omnes audiamus: Deum time, & manda- ta ejus observa: hoc est enim omnis homo. Porro in his rebus error nullius est ad ater- nitatem obtinendam momenti. Dicendum est, ait S. Augustinus de Genesi ad lit. 1. 2. c. 9. hoc de figura Cali scisse Authores no- stros, quod veritas habet; sed Spiritum Dei, qui per ipsos loquebatur, noluisse ista doce- re homines, nulli salutis profutura. Nec est cur dicatur, Sacrorum Authorum dictis in ea re veritati & experientie re- pugnantibus, nihil esse cur deinde in cæ- teris major illis fides debeatur. Quæ enim ab illis dicuntur, non ita planè nar- rata sunt, tanquam vera asseruerit; sed his tantum velut hypothefibus constitutis, non propriam sententiam, sed vulgi opi- nionem exposuerunt. Ne uno quidem capi- te Scriptura instruendos homines eâ de re datâ operâ suscipit, cum ad nostrum ul- timum finem ea nosse, vel ignorasse perin- de habeatur. Quis, rogo, eam legem im- poneret Philosophis, & Theologis, ut ver- ba ad populum facientes, usitatis in Scho- la, sicut & in Libris de arcanis naturæ seu mysteriis Religionis scriptis, verbis utantur? Quæ verò Sapientibus, & Phi- losophis permilla sunt, hæc Sacris Scri- ptoribus denegemus, qui plurium utilita- ti scribentes, ad captum sese vulgarium & simplicium accommodant?

IN PROPHETAS PROLEGOMENA

ARTICULUS PRIMUS.

Nomina Prophetarum. Varia notiones vocis prophetare. Varia Prophetarum discrimina.

Prophetæ nomen juxta vim Gre- ci vocabuli virum futura præ- dicentem significat. Olim apud Hebræos *Videntes* audiebant; quasi scilicet homines Divina intuentes: *Qui Propheta* [*Nabi*] dicitur hodie, ait Author 1. Reg. 9. 9. vocabatur olim *Videns* (*Roeb*); loquebatur unusquisque vadens consulere Deum: *Veni- te eamus ad Videntem*. Nomen *Nabi* latif- simam habet significationem; non enim ex- primit tantummodò virum futura prædi- centem, sed hominem etiam à Deo inspi-

ratum ejusque nomine loquentem. Abraham Propheta Domini nomen obtinet (*a*); si- cut & Aaron frater Moysis, qui constitutus fratris sui interpres, ejus ad populum ver- ba exponebat: Exod. 7. 1. *Eccc constitui te, ait Deus ad Moysen, Deum Pharaonis, & Aaron frater tuus erit Propheta tuus*. S. Paulus eodem titulo ornavit vatem, quendam Paganum (*b*), quod scilicet Pa- gani Vates suos eos viros Divino cœstro afflatos Dissque charos habebant. Factum est etiam, ut abusione quadam viri sedu- ctiores Divina jactantes, Propheta nomi- ne

De Mundi Opif. lib. 3. cap. 9. 10.

a Gen. 20. 7.

b Tit. 1. 12. Dixit quidam proprius eorum Prophetæ.

ne in Scriptura appellentur. Designantur etiam, nec rarò, Prophe- tæ appellatione hominis Dei, Angeli Domini &c. Angelus Domini venisse per- hibetur è Galgalim in locum nomine *Bo- sehim*, ut ad populum verba faceret [*c*]. Aggæus 1. 12. se ipsum nominat nuncium, seu Angelum Domini. Malachias adven- tum S. Joannis Baptistæ oraculo prædicens, Angelum Domini venturum annunciat (*d*). Tandem inter Prophetas minores novissi- mus Malachiæ, nempe Angeli, nomine cog- noscitur, cum alioqui ipse credatur à non- nullis (*e*) Esdras, studio legis & amore no- tissimus. Prophetare Hebræorum sermone non est tantum venturi arcana pandere, sed eorum etiam quæ vel nostrâ ætate vel elapso jam tempore, nobis tamen abditâ, contingerunt. Isaias 44. 7. &c. Dei virtutem exaggerans, omnia illi explorata esse dicit, quæ in muni- di exordio contigerunt. Milites Jesum- Christum oculis velatum cædentes dice- bant: *Prophetæ nobis, quis est qui te percussit* (*a*). Cum divini Spiritus cœstro afflatus Propheta motibus aliquando agita- rentur insolitis, ideo moribus usurpatum est, ut mali spiritus agitatione vexati prophe- tare dicerentur. Ita prophetasse dicitur in domo sua Saul cum tetto melancholiæ spiritu agitaretur (*f*). Propheta etiam audiebant, quicumque cantare, choreas du- cere, instrumentis canere novissent. *Cum ingressus fueris Urbem*, ait Samuel ad Sau- lem 1. Reg. 10. 5. 6. *gregem Prophetarum descendendum de excelso obviam habebis, ante eos Psalterium, & tympanum, & ti- biam, & cutbaram, ipsosque prophetantes, & insiliet in te Spiritus Domini, propheta- bis cum eis, & mutaberis in virum alium*. Filii Asaph constituti sunt, ut prophetarent in cutbaris, & psalteriis, & cymbalis, 1. Par. 25. 1. Non rarò etiam apud S. Paulum in eo sensu usurpatur, ut sonet Scriptura- rum sensum pandere, pios sermones misce- re, verba in Ecclesia ad populum habere (*g*). Extraordinarium est quod legimus Eccli. 48. 14. ubi prophetare est miracula patrare: *Corpus Elisei mortuum propheta- vit*. Prophetasse etiam legimus ibid. 49. 18. ossa Joseph; quippe quæ vades fuissent factæ ab illo fratribus suis promissionis, cum moriturus superflites ipsos mandatis oneravit, ut ex Aegypto egredientes ossa sua secum in Chanaanitidem deferrent. Erant etiam apud Prophanos *Videntes*, *Propheta*, & *Prophetia*, sed diversâ oppidò à Judaicis. Prophetas appellabant Paga- ni Sacerdotes Fanorum (*h*), eos maximè, qui claris oraculorum famâ adibus infer- virent, ut Dodonææ, Delphicæ, Clariæ. Olim Aegyptii solebant *Videntes* nuncupa- re, qui apud illos deinde Propheta vo- cati sunt. Inter *Videntes* recensent Saph- m Regem ejusdem regionis (*i*). Rex Ame- nophis, optans ut inter *Videntes Deorum* cooptari mereretur, voti compos factus est, eâ conditione, ut totam regionem è leproforum, & impurorum hominum fœ- ce purgaret (*k*). Sacerdotes Aegypti ple- rique Propheta appellabantur, quorum

vita genus durum planè & asperum, stu- diumque describit Porphyrius, seu potius Chæremon apud eundem de Abstin. 1. 4. S. Clemens Alexandrinus 1. 1. & 6. Stro- matum, de Thalete narrat, consuetudinem habuisse cum Prophetis Aegypti, sicut & Pythagoram præceptorem audivisse Sonche- dem Archiprophetam Aegypti; quem Ar- chiprophetam alibi dicit omnia vesticilia regionis curasse. De oraculis Paganorum, eorumque, quos vocant, Enthusiasticis infra differemus. Dei Spiritus, quanquam maximè omnium singularis, variis operationibus unus sus- citat (*l*). Interdum per quietem sese com- municat, ut Abrahamo, & Jacob, Gen. 15. 12. & 28. 12. Interdum per visum sese revelat, ut olim Isaiæ 6. 1. Joel 2. 28. oraculo prænunciat Judæis futurum, ut juvenes eorum visionibus Divinis donen- tur, Senes verò Divina patientur per quietem. Interdum in extasim rapien- tur, ut S. Petrus Act. 10. 11. Solebat etiam Deus in nube apparere, ut Abrahamo (*m*), Job (*n*), & Moyfi (*o*). Solebat con- ceptis vocibus loqui: ita è medio rubi ardentis Moyfi locutus est [*p*]; è medio nubis Abrahamo (*q*); per quietem noctis Samueli [*r*]. Sed loquendi familiarior ratio intima cordis inspiratio habebatur; cum scilicet intimo lumine illustrato spiritu Prophetarum, deinde voluntas excitaba- tur, quò auditas in corde voces prome- rent. Ita planè veros Prophetas Divino- que Spiritu afflatos credimus Scriptores omnes Librorum Canonicorum Veteris No- vique Testamenti, sive illi futura pand- ant, sive præterita, sive suorum tempo- rum historias narrent, vel tandem mora- lia ac pietatis axiomata, aut pia quadam Cantica scribant. Tria sunt S. Augustino Præf. in lib. 19. contra Faust. Prophetarum genera: Prophe- tæ Judæorum, Paganorum, & Christiano- rum. De primis satis in Veteri Testa- mento. Paganorum Propheta ipsissimi sunt eorum Divini, & Poetæ. Propheta verò Christianæ religionis mittendi prænun- ciantur à Jesu Christo ad Judæos Matt. 23. 34. *Eccc ego mitto ad vos Prophetas & Sa- pientes & Scribas &c.* De quibus etiam Apostolus 1. Cor. 12. 28. *Posuit Deus in Ecclesia primùm Apostolos, secundùm Prophe- tas*. Porro viros illos cognoscimus tam- quam Authores Librorum Canonicorum, viros Apostolicos, & lumine ac Spiritu Dei afflatos. De variis prophetandi ratio- nibus agit idem S. Augustinus de diversis qq. ad Simpl. 1. 2. q. 1. Sexdecim Prophetarum Scripta in Veteri Testamento exhibentur; quorum priores quatuor Majores ex amplioribus Lucubra- tionibus vocantur, scilicet Isaias, Jere- mias, Ezechiel, & Daniel; duodecim Fe- liqui Minores didi sunt, videlicet Osee, Joel, Amos, Abdias, Michæas, Jonas, Na- hum, Habacuc, Sophonias, Aggæus, Za- charias, & Malachias. Judæi è numero Prophetarum Danielem expungunt; quip- pe cujus conditio commodior fuerit, quàm ut Prophetarum soleret. Sed his Ecclesia

c Judic. 2. 2. Vide etiam Judicum 5. 25.

d Malac. 3. 1. Collatum cum Luc. 1. 76.

* Hebr. apud Hieron. in Malac. Ita & Chald.

e Luca 22. 64.

f 1. Regum 18. 10.

g 1. Cor. 11. 24.

h Festus. Anti- stites Fano- rum Oraculo- rumque. . . . Propheta, San- cta casti qui purant loca i Mactho apud Joseph. l. x. Contra Ap- pion. k Idem ibid.

l Sap. 7. 22. Spiritus Sanctus unicus & multiplex.

m Gen. 16. 10. n Job. 40. 1. o Exod. 13. 21. & passim. p Exod. 3. 20 &c. q Gen. 22. 11. 12. r 1. Regum 3. 4. &c.